

et difficilibus<sup>a)</sup> comprobati, deprimentes assidue<sup>b)</sup> meroris angustias, et [revertite] ad consueta celse magnitudinis studia et opera, que propagata sumpsistis a patribus<sup>c)</sup> et que vobis [commissa sunt] confidenter, et recurrite in hiis previa semper lucerna<sup>d)</sup> prudentie<sup>e)</sup>, sicut didicistis et scitis vos strenue et viriliter exercere, ut illud, quod a quibusdam reputatur ad lapsum, describatur potius ab omnibus ad ascensum<sup>f)</sup>. Nec hoc quidem vobis erit, ut credimus et speramus, multum difficile, si vos non tedeat, neque portendat<sup>g)</sup> momentanea paucorum dierum perspectio, quorum plurimorum et maximorum diuturna<sup>h)</sup> et periculosa<sup>i)</sup> frequenter aggregatio vobis summi<sup>k)</sup> nominis altitudinem comparavit. De nostri enim favoris [et] benivolentie plenitudine sic securos esse vos volumus<sup>l)</sup>, quod nostram, quantam Dominus tribuerit, potentiam semper ut prius<sup>m)</sup> in omni<sup>n)</sup> prontitudine spiritus [vestris] necessitatibus adfuturam<sup>o)</sup> [intendentes]<sup>p)</sup> ad continendam precipue insolentiam<sup>q)</sup> transgressorum ad partes Ytalie potenter et celeriter veniemus.

## XI.

(Florentiner Ghibellinen) berichten König (Manfred von Sizilien) über den (bei Montaperti errungenen) Sieg Sienas über Florenz.

(Siena, kurz nach dem 4. September 1260)<sup>1)</sup>.

Hs. fol. 18<sup>rv</sup>.

Fr[idericus] etc.<sup>r)</sup>.

Victoriosos<sup>s)</sup> et felices rumores suscipiat regia celsitudo, quos de prosperis successibus<sup>t)</sup> ad vota describimus, qui nuper in partibus Ytalie successerunt divina volente iustitia, que semper *potentes de sede deposuit et humiles exaltavit*<sup>2)</sup>. Ecce enim, cum temeraria Florentinorum audacia et eorum effrenata superbia in tantum cornua elevasset<sup>u)</sup><sup>3)</sup>, [ut] non solum suos Tuscie convicinos, verum etiam invictissimum regem Scicilie quereret subiugare, quem licet de facto non posset, tamen vocibus detrectavit et ignominiose deprimebat, inextimabilem exercitum ex

a) *difficilibus* Hs.    b) *assidue* Hs.    c) *partibus* Hs.    d) *lucerne* Hs.  
e) *prudencia* Hs.    f) *assesum* Hs.    g) *pertendat* Hs.    h) *diurna* Hs.  
i) *periculossa* Hs.    k) *sumis* Hs.    l) *volumus* Hs.    m) *plus* Hs.    n) *com-*  
*muni (cōi)* Hs.    o) *adfutura* Hs.    p) *zu dieser Ergänzung vgl. HB. 5,*  
*363 Zeile 4*    q) *insolentiam* Hs.    r) *So irrtümlich* Hs.    s) *Victoriosos* Hs.  
t) *succesibus* Hs.    u) *ellevasset* Hs.

1) Vgl. oben S. 405 f. Nr. 60.

2) Vgl. Luc. 1, 52.

3) Vgl. Zach. 1, 21 und Ps. 74, 5—6.